CLASSICORUM AUCTORUM

E VATICANIS CODICIBUS EDITORUM

TOMUS VII.

SCRIPTORES DE REBUS ALEXANDRI MAGNI
COMMENTARII IN VIRGILIUM, DYNAMIDIA,
HISTORICA ET GRAMMATICALIA QUAEDAM.

CURANTE

A. M.

BIBLIOTHÈQUE S. J
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

ROMAE
TYPIS COLLEGII URBANI
M·DCCC·XXXV·

Digitized by Google

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



About this Text

Excerpta ex Antiquissimo Libro Physiologo, Angelo Mai, ed. This text is a collection of chapters from ancient manuscripts of the Physiologus. The manuscripts used are not identified.

The extract is taken from:

Classicorum Auctorum E Vaticanis Codicibus Editorum,
Volume 7, 1838, page 589-596

https://books.google.com/books?id=D1wxw2V_IiMC

This extract is available from the *Medieval Bestiary: Animals in the Middle Ages* web site, in the Digital Text library:

https://bestiary.ca/etexts/etext116891.htm

Copyright

The text as published in 1838 is in the public domain. This extract edition was created by David Badke in 2026 and is also in the public domain.

CC BY-NC-SA 4.0

EXCERPTA

EX ANTIQUISSIMO LIBRO

PHYSIOLOGO.

1. ADAMANS, lapis ferro durior, de quo Physiologus ita dicit, si tamen credendum est: est lapis qui dicitur adamans; iste in monte quodam in Oriente invenitur, ita tamen ut noctibus quaeratur, non per diem, quoniam nocte lucet ubi fuerit; per diem autem non lucet, quoniam sol obtundit lumen eius.

2. AQUILA, avis magna, et regalis, de qua David dicit: renovabitur sicut aquila iuventus tua.

3. ASIDA, animal est, quod Graeci struthiocamelon, Latini struthionem dicunt. Physiologus dicit, si creditur, hoc animal quasi volturium esse, habet pennas, sed non volat, sicut ceterae aves; pedes vero habet similes. Hoc vero animal cum venerit illi tempus suum ut ova pariat, elevat oculos suos in caelum, et videt num stellam illam, quae dicitur vergilia, iam ascendat: non ponit ova sua in terra, antequam stella illa oriatur in caelo; de qua stella dicit Iob: qui facit vergiliam, et arcturum, et septentrionalem, et promtuaria austri. Tempore enim suo oritur vergilia stella in caelo; idest tunc quando iam messes florent, et aestas est circa mensem iunium. Tunc asida cum viderit vergiliam ascendisse in caelum, fo-

Digitized by Google

dit in terra, et ibi ponit ova sua, et operit ea de sabulone * in eremo. Cum autem abscesserit de loco illo, statim obliviscitur, et non redit ad ova sua; est enim hoc animal naturaliter obliviosum, et ideo tempore aestatis generat ova, et obruit illa sub arena; ut quod illa factura erat sedens super ova sua, ut fotu suo educeret pullos suos, hoc ei temporis tranquillitas, et aëris temperies praestare videatur, ut aestate calefacta arena excoquat ova, et excludat pullos illius. Quia ergo asida cognoscit tempus suum, et elevat oculos suos in caelum, Hieremias prophetа dicit: et asida in caelo agnovit tempus suum. Quod vero obliviscitur posteritatis suae, Dominus loquitur ad Iob dicens: pinna struthionis similis est pinnis herodii, et accipitris, quae derelinquit in terra ova sua; tu forsitan in pulvere calefacis ea? Obliviscitur enim quod pes conculcet ea, aut bestiae agri conterant. Bene ergo de asida et Physiologus dixit.

* r. m. *sablone.*

4. ASPIS CHELONE, belua est inmanis, quae a Latinis aspis testudo nominari potest. Huius naturam Physiologus disseruit, si tamen ita credendum est: aspis inquit chelone cetus marinus est magnus, habens super corium suum tamquam sabulones *, qui sunt iuxta litora maris. Hic in medio pelago elevat dorsum suum super undas maris, ita ut a navigantibus nautis non aliud credatur esse, quam insula; praecipue cum viderint totum locum illum, sicut in omni litore maris sabulonibus esse repletum. Putantes ergo nautae insulam esse, applicant navem suam iuxta eam, et descendentes figunt palos, et alligant navem. Deinde ut coquant sibi cibum post laborem, faciunt sibi focum super arenam, quasi super terram. Illa vero

* r. m. *sablones.* Sic et mox.

Digitized by Google

belua cum senserit ardorem ignis, subito se mergit sub aqua, et navem secum trahit in profundum maris. Item astutia eiusdem beluae haec est: quando esurierit, aperit os suum, et quasi quendam odorem bene olentem exhalat de ore suo, cuius mox ut odorem senserint minores pisces, congregant se intra os ipsius. Cum autem repletum fuerit os eius diversis piscibus pusillis, subito claudit os suum, et transgluttit eos.

5. ASPIDES, serpentes venenosae, quarum naturam Physiologus exposuit dicens, si tamen credendum est: aspides hanc habent naturam, ut si quando advenerit marsus ad speluncam, ubi sunt aspides, et praecantaverit eis omnibus carminibus, ut exeant de cavernis suis, illae ne audiant vocem incantantis, ponunt capita sua ad terram, et unam quidem aurem suam premunt in terra; aliam vero aurem de cauda sua obturant; unde et David dicit: sicut aspides surdae, et obdurantes aures suas, quae non exaudiunt voces incantantium. Bene ergo de aspidibus Physiologus.

6. AUTOLOPS, animal est acerrimum nimis, adeo ut nec venatores ei possint adpropinquare. Habet autem longa cornua serrae figuram habentia, ita ut possit etiam arbores secare altas et magnas, et ad terram deponere. Cum autem sitierit, venit ad magnum Euphraten fluvium, et bibit; et est ibi frutex, qui dicitur graece hericina, habens virgulta subtilia atque prolixa. Veniens autem incipit ludere cornibus suis ad hericinam; et dum ludit, obligat cornua sua in virgultis eius. Cum autem diu pugnans liberare se non possit, exclamat voce magna: tunc audiens venator vocem eius venit, et occidit eum.

7. CHARADRIUS, avis quae in Deuteronomio praecipi-

Digitized by Google

tur non manducari. Physiologus dicit de hoc, si tamen credendum est, quia totus albus est, nullam partem habens nigram, cuius interior fimus curat caliginem oculorum: istud in vasis regum invenitur.

8. CASTOR, animal est mansuetum nimis, cuius testiculi in medicina proficiunt ad diversas valitudines. Physiologus et posuit naturam illius dicens: quia cum investigaverit eum venator, sequitur post eum; castor vero cum respexerit, et viderit venatorem venientem, statim morsu abscidit testiculos suos, et proicit eos ante faciem venatoris, et sic fugiens evadit: venator autem veniens colligit eos, et ultra iam non persequitur eum, sed recedit ab eo. Si autem rursus venerit alter venator, ut perquirens inveniat, et sequatur post eum, ille videns se iam evadere non posse erigit se et virilia sua venatori. Venator autem cum viderit eum non habentem testiculos, discedit ab eo.

9. CONCHUS, lapis est in mari, graeco vocabulo appellatus hoc, quia convexus est et rotundus. Est autem in duas partes divisus, ita ut cum voluerit aperiat se, et cum voluerit claudat. Hic ergo de profundo maris ascendit matutinis horis, habet enim intra se carnem. Cum ergo ascenderit diluculo super mari aperit os suum, et suscipit intra se de rore caeli, et circumfulgetur radiis solis; et sic fit intra eum margarita pretiosa splendida; quippe rore caeli concepta, et est de radio solis clarificata.

10. ERINACIUS. Physiologus dicit, si tamen creditur, quoniam figuram habet porcelli lactentis. Hic deforis totus spinosus est, tempore autem vindemiarum ingreditur in vineam, et ubi viderit uvam bonam, ascendit per vitem et exacinat eam, ita ut cadant omnes

Digitized by Google

acini in terram; tum demum descendens volvit sese super illos, ita ut omnes acini figantur in spinis eius, et sic portat escam filiis suis.

11. FORMICAE, minutissima animalia, et quodammodo prudentissima, de quibus Physiologus ita dicit: cum exierint de spelunca sua, ambulant ordinate, et quaerunt grana cuiuslibet seminis. Cum autem invenerint, in ore suo adprehendunt singula grana, et portant in speluncam suam. Aliae vero formicae non habentes grana in ore suo, sed sic vacuae obviantesque veniunt cum cibariis, non rapiunt ab eis grana, sed vadunt quaerentes per vestigia illarum, et sumunt sibi sicut et illae, et adferunt in habitacula sua. Quando autem recondunt grana in speluncam suam, dividunt illa per medium, ne hieme adfecta, humus semina inlata infundat. Tempore quoque messis ambulant inter segetes, et de odore advertunt, an hordeum sit spicus ille, an triticum: si enim fuerit hordeum, transeunt ad alium spicum, et odorantur; et cum senserint quia spicum tritici est, ascendunt sursum in spicum, et tollentes inde grana deponunt, et portant ea in habitacula sua.

12. HYAENA, graecum est, quod latine dicitur belua, de qua lex: non manducabis hyaenam, neque quod similis est illi, quoniam inmundum est. De qua etiam per Hieremiam prophetam dictum est: spelunca hyaenae, hereditas mea facta est. Physiologus dicit de ea, quoniam duas naturas habet, et aliquando quidem masculus est, aliquando autem femina, et ideo immundum animal est.

13. PANTHER, animal varium habens colorem, sed speciosum valde. Physiologus dicit de hoc, quoniam

Digitized by Google

inimicus est draconis solum: cum ergo comederit, et satiatus fuerit diversis venationibus, recipit se in speluncam suam, et ponens se obdormit. Post triduum vero exsurgit de somno, et statim mittit rugitum magnum; simul autem cum rugitu exit de ore eius odor tantae suavitatis, ut superet omnia aromata. Cum ergo audierint vocem eius omnes bestiae quaecumque prope sunt, et quae longe, congregant se omnes, et sequuntur post odorem suavitatis, qui exiit de ore eius. Solus draco cum audierit vocem eius, timore contrahitur, et fulcit se in subterraneis cavernis terrae, ibique non ferens vim odoris suavitatis, et in semetipsum contractus obtorpescit, et remanet ibi inmobilis atque inanis tamquam mortuus; cetera vero animalia sequuntur pantherum quocumque vadit.

14. PELICANUS. Physiologus dicit, quoniam amator filiorum nimis est: si autem genuerit natos, et modicum creverint, percutiunt se in faciem parentum; parentes autem colaphizant eos et occidunt: deinde misericordia ducti parentes duobus diebus lugent filios suos, quos occiderunt, et tertia die venit eorum pater, corripit latus suum: sic sanguis eius adspargitur super mortuorum corpora pullorum, et ex ipso sanguine calefacti mortui suscitantur. (1)

15. RHINOCERON, animal est, quod graece dicitur monoceron, latine vero unicornis. Physiologus dicit, unicornum hanc habere naturam: pusillum animal est, simile haedo, acerrimum nimis, unum cornu habens

(1) De pelicano sic in nostro codice Eucherius. " Peli-
„ canus, avis parva, quae solitudine delectatur. Est et aliud
„ pelicanorum genus in Nilo paene cycnis simile, nisi quod
„ paulo maiores sunt. Quidam ita et onocrotalos vocant. „

Digitized by Google

in medio capite. Et quia nullus omnino venator eum capere potest, hoc argumento eum capiunt. Puellam virginem ducunt in illo loco ubi moratur, et dimittunt eam in silvam solam: ille vero mox viderit eam, silit in sinum virginis, et complectitur eam, et sic conprehenditur, et exhibetur.

16. SERRA, belua est marina, pinnas habens inmanes. Haec cum viderit in pelago navem velificantem, elevat pinnas suas super aquam, et contendit velificare cum nave; ubi vero cucurrerit contendendo contra navem stadiis triginta vel quadraginta, laborem non sustinens deficit, et deponens pinnas ad se adtrahit eas; undae vero maris iam lassam reportant eam ad pristinum locum suum profundum.

17. VIPERA, genus est serpentis venenosae. Physiologus autem de vipera dicit: quoniam capite usque ad pectus masculus est; a pectore usque ad umbilicum femina est; ab umbilico usque ad caudam crocodrili habet figuram. Vadum autem feminae non habent in sinu suo, sed et foramen acus habent; et masculus voluerit cognoscere feminam, effundit semen in os feminae, et dum sorbuerit femina praecidit necessaria masculi, et statim moritur masculus. Dum autem creverint in utero matris filii, comedunt matris ventrem, et sic foris exeunt. Patrolae ergo sunt, et matrolae.

18. VULPIS (1) est animal dolosum, et nimis fraudulentum, et argumentosum: cum esurierit, et non invenerit quod manducet, requirit ubi est rubra terra, et volvit se super eam, ita ut quasi cruenta appareat

(1) De terminatione nominativi *vulpes* vel *vulpis*, recole pag. 587. fin.

Digitized by Google

tota, et proicit se in terra tamquam mortua, attrahens quoque intra se flatus suos ut penitus nec respiret. Aves vero diversae videntes eam sic infectam, et cruentam iacentem, descendentes sedent super eam, ut comedant eam; illa vero rapit eas, et devorat.

FINIS.

Digitized by Google